



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 23. Matrimonium cum Hæretico ut licitum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

QUÆSTIO XXIII. *Matrimonium cum
hæretico ut licitum.*

AN matrimonium inter Catholicum, ac hæreticam, & contra, licitè contrahatur?
Satis constat primò, Matrimonia Catholicorum cum hæreticis, si aliud non desit, posse per se valida esse, quia modò ab Ecclesia Catholica non irritantur.

Constat tamen secundò, ejusmodi matrimonia in pluribus Ecclesiæ Conciliis ac decretis sub gravi peccato prohibita fuisse, propter periculum fidei, quod à conjugè Catholico, & à prole incurritur, uti constat ex Concilio gener. Calcedonenfi Can. 13. Et Concilio partic. Eliberitano, Laodicensi, Carthaginensi 3. can. 12. & aliis à Pontifice approbatis, apud Sanch. *de matrim. disp. 72. n. 4.* Quæstio igitur proposita tantum potest locum habere de illis partibus ubi Catholici hoc tempore vivunt hæreticis permixti: & in hac quæstione decidenda maximè variant inter se Doctorum sententiæ.

Respondeo ad quæstionem cum Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 72. n. 5.* Tirino in *Epist. 1. ad Cor. c. 7. v. 39.* & præcipuè cum Lessio in *Posth. ver. Hæret. casu 23.* In partibus illis matrimonia Catholicorum cum hæreticis non videntur illicita, quando hæ conditiones concurrunt: Primò, ut absit periculum perversionis, & persona Catholica permittatur liberè vivere in sua religione. Secundò, ut non impediatur ritu Catholico prolem educare. Tertio, ut non sit facile Catholico in sua religione invenire conjugem sibi parem, & idoneam. Quarto, ut hæreticus non sit denunciatus, aut notorius Clerici petitor.

Part. 3. tract. 6. Resolutiones practicae ad C. c. 573
cussor. Quintò ut eo loco passim sit consuetudo
sic contrahendi absque ullo scandalo. Ratio est,
quia tres primæ conditiones efficiunt ut conu-
bia illa non impediatur jure divino, & consue-
tudo tollit jus humanum, quo illa prohibentur :
præsertim cum summus Pontifex in multis reg-
nis sciat, & tamen permittat illam consuetudi-
nem vigere. Addit tamen Lessius, non facile
suadendum, quantum commodè fieri potest, ut
ejusmodi connubia cum hæreticis contrahantur.
Nisi (inquit Tanner. *hic d. 8. q. 4. dub. 5. n. 88.*)
spes sit moraliter certa de conversione conjugis
hæretici aut judicio prudentium aliud bonum
majoris momenti expectetur.

An urgentibus hæreticis matrimonium licitè
contrahatur coram Ministro hæretico, postquam
contractum fuit coram Sacerdote, resolvitur su-
pra *tr. 4. de matrim. c. 8. §. 2.*

QUÆSTIO XXIV.

AN si hæreticus promittat conversionem,
possit etiam absque dispensatione matrimo-
nium contrahi?

Partem negativam docet Sanchez *hic disp. 72.*
n. 4. in fine. Cum Pontio &c.

Respondeo tamen affirmativè cum Lugo *de*
fide disp. 22. sect. 2. n. 17. Em. Sa *v. Matrimoni-*
um. Hurtado *hic disp. 76. §. 229.* Et probatur,
quia exceptio hæc invenitur in ipsis Decretis
quibus matrimonia cum hæreticis prohibentur.
Nam in Conc. Calcedonensi *Can. 14.* adduntur
hæc verba : *Nisi forte sponderit se venire ad ortho-*
doxam fidem. Et in Cap. *Non oportet. 28. quæst. 1.*
disertè dicitur, *filiis hæreticis posse accipi, si sponde-*
ant se professuras orthodoxam fidem. Ergo inhærendo
termi-